

sustulit exsilio comitem matrisque vocavit  
 nomine Casmillae mutata parte Camillam.  
 ipse sinu prae se portans iuga longa petebat  
 solorum nemorum: tela undique saeva premebant 545  
 et circumfuso volitabant milite Volsci.  
 ecce fugae medio, summis Amasenus abundans  
 spumabat ripis: tantus se nubibus imber  
 ruperat. ille, innare parans, infantis amore  
 tardatur caroque oneri timet. omnia secum 550  
 versanti, subito vix haec sententia sedit.  
 telum inmane, manu valida quod forte ferebat  
 bellator, solidum nodis et robore cocto,  
 huic natam, libro et silvestri subere clausam,  
 inplicat atque habilem mediae circumligat hastae; 555  
 quam dextra ingenti librans ita ad aethera fatur:  
 "alma tibi hanc, nemorum cultrix, Latonia virgo  
 ipse pater famulam voveo; tua prima per auras  
 tela tenens supplex hostem fugit. accipe testor  
 diva tuam, quae nunc dubiis committitur auris." 560  
 dixit et adducto contortum hastile lacerto  
 inmittit: sonuere undae, rapidum super amnem  
 infelix fugit in iaculo stridente Camilla.  
 at Metabus, magna propius iam urgente caterva,  
 dat sese fluvio atque hastam cum virgine victor 565  
 gramineo donum Triviae de caespite vellit.  
 non illum tectis ullae, non moenibus urbes  
 acceperere neque ipse manus feritate dedisset:  
 pastorum et solis exegit montibus aevom.  
 hic natam in dumis interque horrentia lustra 570  
 armentalis equae mammis et lacte ferino  
 nutribat, teneris inmulgens ubera labris.  
 utque pedum primis infans vestigia plantis  
 institerat, iaculo palmas armavit acuto  
 spiculaque ex umero parvae suspendit et arcum. 575  
 pro crinali auro, pro longae tegmine pallae  
 tigridis exuviae per dorsum a vertice pendent.  
 tela manu iam tum tenera puerilia torsit